



S. A N S E L M U S.

*Profologie, c. 25.*

**Q**uid ergo, per multa vagaris, homuncio,  
 quærendo bona animæ tuæ & corpori  
 tuo? si delectat pulchritudo? fulgebunt Iusti  
 sicut sol in regno Patris sui. Si velocitas aut  
 fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil pos-  
 sit obistere? erunt similes Angelis Dei: quia  
 seminatur corpus animale, & surget corpus  
 spirituale, potestate utiq; non naturâ. Si lon-  
 ga & salubris vita? ibi sana est æternitas, &  
 æterna sanitas: quia Iusti in perpetuum vi-  
 vent, & salus Iustorum à Domino. Si fatie-  
 tas? satiabuntur cùm apparuerit gloria Dei.  
 Si ebrietas? inebriabuntur ab ubertate do-  
 mûs Dei. Si melodia? ibi Angelorum chori  
 concinunt sine fine Deo. Si quælibet non im-  
 munda, sed munda voluptas? torrente volu-  
 ptatis tuæ potabis eos Deus. Si Sapiaentia?  
 ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si  
 H ami-

amicitia? diliget Deum plus quàm seipſos, & invicem tamquam seipſos & Deus illos plusquam illi seipſos: quia illi illum, & se, & invicem per illum; & ille se, & illos per seipſum. Si concordia? omnibus illis erit una voluntas; quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas. Si potestas? omnipotentes erunt voluntatis suæ, sicut Deus suæ: nam sicut poterit Deus quod volet, per seipſum: Ita poterunt quod volent per Deum. Si honor & divitiæ? Deus servos suos bonos & fideles supra multa constituet: imò filij Dei & dij vocabuntur: & ubi erit Filius ejus, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas? ita certi erunt, numquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se suâ sponte id non amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum; nec aliquid Deo potentius, ipsos invitos à Deo separaturum. Gaudium verò quale & quantum, ubi tantum bonum?

Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt, & tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognoscent Domine  
tunc,